



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et
Divortiis, Dissertationes Tres**

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. II. An sponsæ defunctæ matrem vel filiam ducere liceat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

nere, qua vi a patre fuit compressa: Nam & talis omnino mater ejus est. Qui vero (addunt) rem habet cum matre sua, qua uxor patris ejus est, videlicet non vi stuprata, duplici reatu constringitur, altero, quia mater ejus, altero vero, quia uxor patris ejus: אין חלוק בזה בין שבא עליה
 Nec referi, sive superstitie patre cum ea fuerit congressus, sive eo defuncto. De secundo casu, an quis matrem vel filiam personæ, cum qua scortatus est solutus, ducere possit, vid. Voetii polit. Eccles. P. 1. l. III. Tr. 1. Sect. 2. c. 3. q. 7. qui contrarium probat ex Am. 11. 7. Gen. XIX. 31. xxxv. 22. 2 Sam. XIII. 14. XVI. 22.

XIV. *Questio Secunda est, An Sponsa defunctæ matrem vel filiam ducere liceat?* R. Ita quidem videtur, quia propinquitas nulla est conjugium impediens inter personas, quæ se nec affinitate, nec consanguinitate tangunt; & cum vera affinitas nascitur ex conjunctione viri & uxoris, qua fiunt una caro, non videtur viro defunctæ sponsæ mater filiave interdicta. Ita Celeber. *Maresius Scholii & Animadversionibus ad M. Ant. Cuchi Instit. Juris Canon. lib. III. Tit. 8.* potest, inquit, quis ducere sponsa sua defunctæ matrem, modo accedat *authoritas Magistratus.* Et *Consultiss. Carpzovius Jurisp. Constit. II. Defin. cxxxii.* hoc casu dispensationi locum esse, existimat. Si videlicet, pro ratione circumstantiarum & personæ dispensationem petenti juramentum ei injungatur, quo a præsumptione commixtionis carnalis cum defuncta sponsa se purget, priusquam fiat dispensatio. Secus enim *Defin. clix.* ob publicam honestatem, scandali evitacionem, verecundiam, fidem conjugalem datam & vim mutui consensus, hujusmodi matrimonium illicitum pronuntiavit. Ita etiam judicavit, atque negative respondit *Consistorium Lipsiense, & Facultas Theologica Jenensis, Jena An. 1600.* teste *G. Dedenkeno Thes. Consil. & Dec. vol. III. l. 3. Sect. 2. tit. 1.* Tutissimum sane est in conscientia ab ejusmodi matrimoniis abstinere, si non sint immuria a carnalis commixtionis suspicione, cum fides conjugalis data & vis mutui consensus ea non impediant. Minorem difficultatem habet, si quis personæ, cum qua se desponsavit, sed infcius, cum alio eam jam esse desponsatam, matrem duxerit, cum in tali casu ista conjunctionis carnalis suspicio cesset. Hæ quæstiones institutæ sunt præcipue occasione primæ legis specialis *Lev. xviii. 7.*

XV. *Questio Tertia sequitur, (ad comma 8. Lev. xviii.) An ducere liceat novercam a patre tantum desponsatam, aut ab eodem repudiatam?*